



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Opinio Durandi. cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

CAPVT I.

Opinio Durandi.

De illuminatione Angelorum disputat Sanctus Thomas infra quæst. 106. 109. 110. cumque illuminatio, ut infra videbimus, circa mysteria solum super naturalia contingat: placuit hoc loco de illa ex professo disputare. Supponenda autem in primis est doctrina Dionysii. *cap. de celesti hierarchia*, qui hoc modo hierarchiam definit: *Est sacer ordo, scientia, & actio, que ad diuinitatis similitudinem quoad eius fieri potest, accedit: & proportionem illustrationum quoad diuinitatem datæ sunt, ad Dei intentionem traducitur.* Finem igitur hierarchia docet esse imitationem Dei: medium autem esse participationem diuinæ lucis, qua Angeli supremi inferiores illuminant. Quocirca in med. cap. inquit, ordinem hierarchia hoc postulare, ut alij purgentur, alij purgent: quidam luce doctrinæ illustrentur, quidam illustrent: alij perficiantur, alij perficiant: hoc autem intelligit, non quod superior tantum hierarchia inferiorem illuminet, & purget, sed quia in eadem hierarchia vnus ordo superior inferiorem perficit: sunt enim tres hierarchiæ, & in vnaqueque hierarchia tres ordines, ut videre est apud S. Th. infra q. 108. Porro quæ de celesti hierarchia nobis tradidit Dionysius, & in vni S. Th. in ea quæst. collegit, non nisi reuelatione dicere potuit, ut ipse testatur cap. 6. de celesti hierarchia, vbi ait, omnia à præceptore suo, nempe à Paulo, quem initiatorum suum vocat, didicisse. Quod vero Ang. in *Enchir.* c. 8. dicat, nihil de hac re certum esse, mirum non est: nam manifestis coniecturis constat, Aug. opera Dionysii non vidisse: liquidem & *Greg. hom. 3. 4. in Euang.* sententiam Dionysii de misteriorum Angelorum, ex aliorum relatione commemorat: opera enim Dionysii multo tempore superflua fuerunt.

Hac igitur doctrina præmissa, nunc difficultas examinanda est de actione ipsa hierarchiæ, quæ in purgatione & illuminatione consistit, qua videlicet ratione vnus Angelus ab alio illuminari & ab ignorantia purgari possit? In qua quidem difficultate tres fuerunt præcipue Scholasticorum opiniones. Prima sit Durandi, qui in 2. dist. 1. quæst. 10. num. 10. affirmat primum omnes Angelos causaliter (ut ipse loquitur) à Deo proxime illuminari, deinde docet, vnum Angelum ab alio solum illuminari per quandam consequentiam. Priorem partem, ita explicat Durandus, ut omnes Angeli à nullo alio tanquam à causa efficienti illuminentur, nisi à solo Deo, siue illuminatione fiat per internam aliquam immutationem, siue per externam solum doctrinam. Eam vero partem confirmat hac ratione: omnia, quæ pertinent ad statum, & notitiam beatitudinis, siue pertineant ad obiectum ipsum essentiale beatitudinis, siue etiam ad obiectum accidentarium, debent proxime à Deo, ut ab efficienti: reuelari quandoquidem solus Deus est causa beatitudinis nostræ essentialis, & accidentariæ: sed mysteria omnia, quæ angelis de cursu temporis reuelantur, pertinent ad statum beatitudinis ipsorum: ergo omnia à Deo proxime reuelantur. In hac ratione supponere videtur Durandus, illuminationem solum contingere circa hæc mysteria, quæ ad statum beatitudinis quodam modo spectant: cumque omnia quæ perti-

V. q. 10. in 1. p. tom. 2.

nent ad statum beatitudinis, debeant proxime à Deo manare; consequens est ut Angeli proxime à Deo illuminentur.

Posteriorem vero partem suæ sententiæ, quam ipse addidit, ut quibusdam locis Dionysius facit, sic exponit, cum omnes Angeli continentur inter se in diuini luminis irradiatione, siue naturalis, id quod vni angelo reuelatur, ceteris inferioribus ordine cuiusdam consequentiæ repræsentatur: quocirca quamuis simul tempore illuminentur, vnus tamen prius natura, aut dignitate, quam alius dicitur illuminari. Hoc autem pacto non explicat Durandus in quo consistat ratio illuminationis vnus Angeli ab alio: putat enim, vnum ab alio tanquam à magistro non illuminari: cumque asserat, omnes à Deo, ut ab efficienti, illuminari, facile concedit, Angelum illuminari, corroborata ipsius facultate ad intelligendum per internam illustrationem.

Hæc tamen sententia mihi non probatur. Pri-
mum quia sunt manifesta Dionysii testimonia, qui-
bus, ex communi sententia Scholasticorum, docet
vnum Angelum non solum à Deo, verum etiam
ab alio Angelo illuminari, non quia vnus
post alium ordine aliquo à Deo illuminetur, sed
quia vnus ab alio vere de rebus intelligendis in-
struat. Primum testimonium est lib. de Ecclesi-
astica hierarchia cap. 5. tit. 5. de sacerdotibus perfectioni-
bus, vbi docet, inferiora per superiora tandem
in Deum reduci. Secundum testimonium est
cap. 8. de celesti hierarchia, vbi affirmat, Ange-
los secundæ hierarchiæ purgari ab Angelis primæ
hierarchiæ. Tertium testimonium est eodem lib.
cap. 4. vbi asserit, vnam substantiam angelicam ac-
ceptam intelligentiam à superiori communicare
inferiori. Hæc tria testimonia refert S. Thom. in-
fra quæst. 106. ar. 1. & art. 4. in argumento. Sed con-
tra, Postremum autem testimonium explicat Dur-
andus modo, ut quidam angeli proxime illuminentur
à Deo, alij vero per alios non origine causæ, sed or-
dine consequentiæ, ut superius ex mente eiusdem
expositum est.

Hæc tamen interpretatio nec prædicto tertio
testimonio, nec alijs accommodari vlla ratione
potest. Primum de alijs duobus manifestum est,
de tertio vero testimonio probatur; namque cap.
illo 4. de celesti hierarchia, post medium, post-
quam dixit, datam fuisse legem per Moysen,
Angelorum ministerio, & ad nos eorundem ope-
ra peruenisse, statim subiungit hæc verba: *Quasi
illud ordo diuine legis sanctat, ea, quæ secundum locum
obtinent, ab ijs, quæ primum, ad diuinitatem erigi & exci-
tari, etenim non solum in summis, atque in finibus mentibus,
sed in eis etiam, quæ sunt eiusdem ordinis, hæc lex à Deo
sanctata est, ut in quacunque hierarchia & primi sint, &
medij, & postremi ordinis inferiorumque superiores sint,
et quæ quasi digito viam monstrant, adiunguntque ostendunt
ad diuinitatem, illustrationem, atque confectionem.*
Vbi cum dicat, superiores angelos doctores esse
inferiorum, plane indicat, non solum ordine con-
sequentiæ, sed etiam causæ ab vno in alium illa-
minationem derivari, & cap. 8. eiusdem libri ante
medium inquit, quosdam nullius interiectu acci-
pere à Deo reuelationem, alios vero aliorum opera,
& hos quidem minus claram illos vero clariorem
notitiam habere, vbi aperte docet, non solum
ordine consequentiæ, sed etiam veræ causæ quod-
dam angelos per alios illustrari.

Bbb

Deinde

Ratione im-
pugnatur
sententia
Durandi.

6
Aristot.

Deinde interpretatio illa, quam adhibet Durandus testimonijs Dionysij, commenticia est, nec fundamentum aliquod firmum veræ doctrinæ habet, ac proinde posterior pars sententiæ illius rationi adversatur: nam ut ab uno angelo in alium illuminatio ordine consequentiæ derivaretur, necesse erat, inter illuminationem unius angeli, & alterius, esse ordinem causæ, nam si nullus est ordo causæ, non poterit esse ordo prioris & posterioris, ac proinde nec ullus per alium illuminari dicitur. Fortasse dicit aliquis, posse esse ordinem prioris & posterioris secundum dignitatem, qui inter modos prioris connumeratur ab Aristot. in prædicamentis, cap. de modis prioris. Ceterum quamvis ratione dignitatis, & nobilitatis recte dici possit, vnum illuminari prius quam alium: tamen ob hanc solum rationem dici non potest, vnum per alium illuminari, vel ab uno in alium illuminationem derivari: ac proinde dici non possit, vnum remotè, alium vero proximè à Deo illuminari: inter reliquos verò, qui contra Durandum affirmant, vnum angelum ab alio vere illuminari, & edoceri, non satis convenit, quo pacto hæc illuminatio fiat. Sunt autem omnes in duas opiniones divisi: quarum prior varijs etiam modis explicari solet & defendi, de quibus sigillatim deinde differendum est, ut tandem verior sententiam optima ratione confirmemus.

CAPVT II.

Secunda sententia quinque modis
explicata.

7
Scotus.
Bassol.
Gabriel.
Hervaeus.
S. Thomas.
Chapreolus.

Secunda opinio in vniuersum affirmat, vnum angelum ab alio illuminari mutatione aliqua ipsi impressa ab eo, à quo illuminatur. In hac sententia fuerunt Scotus in 2. disp. 9. quæst. 2. §. ad aliam questionem, Bassolis qu. 1. art. 2. §. Ideo dicit vnus Doctor, Gab. q. 2. art. 4. conclus. 4. Ocam in 2. q. 20. art. 2. Hervaeus disp. illa 9. q. 1. art. 2. imò in ea etiam videtur esse Sanctus Thomas infra q. 106. art. 1. & Capr. in 2. disp. 11. q. 2. artic. 1. conclus. 2. quam explicat art. 3. in solut. 1. argumenti Durandi contra primam partem eiusdem conclusionis: variant tamen in explicatione huius opinionis.

Primus mo-
dus expli-
candi.

Primus modus explicandi & defendendi hanc sententiam est Scot. & Bass. qui iuxta opinionem, quam de locutione angelorum secuti sunt, docet, primum, non omnem locutionem esse illuminationem, sed eam tantum, quæ perficit, & docet intellectum audientis. Addunt tamen, intellectum audientis non perfici quacunque cogitatione veri, sed veri, quod reuelatione Dei tantum cognoscitur. Deinde asserunt, hanc illuminationem eodem modo contingere, quo fieri solet locutio, ut disp. 210, cap. 2. ex sententia Scoti expositum est, nempe producta notitia in mente audientis angeli, qui illuminatur, quam ipse nullo modo producit. Hæc opinio hoc modo explicata, quo ad maiorem partem ipsius probabilis videtur, ut infra explicabitur: quoad posteriorem autem existimo falsam eadem ratione, qua probavi cap. 3. illius disp. locutionem angelorum non posse eo modo fieri.

8
Secundus

Secundus modus explicandi prædictam sententiam est Gab. & Ocam. qui etiam duo docent: vnum est, inferiores angelos solum à superioribus illuminari de ijs rebus, quas per reuelationem

acceperunt: in quo enim Scot. & Bassolis conueniunt. Alterum est, illuminationem fieri eodem modo, quo fit locutio, per hoc videlicet, quod conceptus reuelatæ existens in mente angeli superioris, qui dicitur illuminare, producit notitiam sui in mente angeli inferioris, qui illuminatur. Hanc sententiam quoad priorem partem probabilem puto, sicut & præcedentem: quoad posteriorem vero eodem modo impugnanda est, licet etiam opinio eorundem authorum quamtulimus, & impugnauimus in ea disp. 210. cap. 7. de locutione Angelorum.

Tertius modus est aliorum, qui censent illuminationem fieri per infusionem alicuius luminis supernaturalis: vel alicuius speciei imperceptibili angeli, qui illuminatur: vel denique per locutionem angelus alium illuminans modum quoquo modo speciem existentem in mente illius. Hæc sententia eadem ratione mihi non probatur, qua etiam illa de locutione angelorum, quæ ut vidimus disp. 210, cap. 4. asserit, vnum angelum alteri loqui per hoc, quod imprimit speciem conceptus menti alterius, & multo maiori ratione non placet hæc opinio, quatenus aliter, vnum angelum ab alio illuminari recepto in se alio lumine supernaturali: nam si angelus non potest immutare intellectum alterius imprimendo speciem, multo minus imprimendo aliquam qualitatem, quæ habeat rationem luminis, præferri supernaturalis.

Quartus modus est asserentium, Angelum illuminari ab alio per derivationem cuiusdam dei spiritualis ab alio, per quem angelus inferior excitatur, & format in se similitudinem, per quam intelligit obiectum de quo à superiori induitur, & illuminatur. Qui modus, ut opinor, videtur esse Ricardi, quia hoc eodem modo docet, angelos secum loqui, ut retulimus disp. 210. cap. 1. quamvis differens de illuminatione in 2. disp. q. 1. solum dicit, illuminare aliquem angelum, nihil aliud esse, quam manifestare illi veritatem aliquam spectantem ad veritatem intellectus, & acutem aciem illius, supponere tamen videtur, hoc totum fieri per missionem radij spiritualis: quæ ad angelum, qui illuminandus est. Ceterum in 2. d. 10. a. 2. qu. 2. loquens de illuminatione, quæ angelus illuminat hominem asserit, non illuminari ab angelo, recipiendo ab eo speciem aliquam: nescio, an putet esse eandem rationem de illuminatione hominis, & angeli. Hanc tamen sententiam de locutione in eo cap. 4. satis confirmamus, & hic modus philosophandi de illuminatione, eodem pacto resellendus est.

His omnibus modis annumerari potest quintus, quem sequitur S. Thom. infra q. 106. art. 1. ubi asserit, illuminationem in duobus positam esse, & in eo, quod intellectus angeli inferioris à superiori corroboratur: & in eo, quod superior angelus veritatem, quam vnico simplici, & communis conceptu distinctè cognoscit, in singulares rationes tribuit, ut inferior capere possit. Priorem partem explicat exemplo duorum corporum calidiorum: nam sicut calor vnus ex propinquitatē alterius fit maior, sic etiam virtus intellectus angeli inferioris ex conuersione angeli superioris ipsam corroboratur, quod enim in rebus corporis est ordo propinquitatis, hoc in spiritualibus est ordo conuersionis vnus angeli ad alium. Posterior